

mum curas, inexhaustam quandam me-  
 moriam militarem insitam animad-  
 uerti, quæ crebro in horrorem compulit  
 cogitantem, quanto verior fuisset, si eam  
 sibi quod studiosi Homines solent ) cir-  
 cumuallare & fulcire quotidiana lectio-  
 ne licuisset: Vidisse semel vel audiuisse  
 fatis est, nunquam obliuiscitur, nec res  
 modò meminit, sed verba, tempus & lo-  
 cum, vbi quid primum acceperit. Sæpè  
 totos dies aut longas noctes colloquendo  
 transegimus, audiendi namque cupidior  
 nemo est, post annos verò suborta earun-  
 dem rerum mentione, si quid fortè plus  
 minusue aut aliter dixissem, submissa  
 voce confestim admonebat, hoc me aut  
 illud verbum mutare. Admirantiq̃ue  
 & vnde nosceret percunctanti, non so-  
 lum tempus, quo id ex me audiuisse, sed  
 sub cuius ilicis vmbaculo, ad cuius vn-  
 dam fluminis, in cuius maris littore, cuius  
 montis in vertice ( longinquas enim se-  
 cum oras circumiui ) me singula recog-  
 noscente memorabat. Iterum & iterum  
 expertus fateor, ad loquendum illo præ-  
 sente, quod vel cautior certè, vel tardior  
 factus sum: Et hæc quidem memoria sub  
 armis, at sequens sub amictu Religionis  
 inter libros habitat.